25

QUÆSTIO MEDICA,

EAQUE THERAPEUTICA;

PRO BACCALAUREATU MANE DISCUTIENDA;

PRÆSIDE

D. D. PETRO RIDEUX, Regis Consiliario & Medico, nec-non in Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio Dignissimo;

SUB HAC VERBORUM SERIE,

An Asciti Sal Admirabile Glauberi:

Quam Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano, die 21.ª mensis Februarii 1715. ab hora octava ad meridiem, JOANNES SELVES Sarlatensis apud Petrocorios, Artium Liberalium Magister, & jamdudùm Medicinæ Studiosus.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.

MONSPELII,
Typis HONORATI PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographi.

M. DCC. XV.

QUÆSTIO MEDICA

EAQUE THERAPEUTICA;

Pro Baccalaureatu mane discutienda.

An Asciti Sal Admirabile Glauberi.

NEQUICQUAM sejunctas ab oceano terras, variosque in iride, à refracto lumine depictos colores, demirantur deucalionis nepotes, huicque posito signo multum confidentes, auspicato denuntiare jactitant, aliud universale. posteris non esse pertimescendum diluvium: siquidem aliud superest mortalibus eo magis metuendum quod internum sit, quodve hominum corpora promethei manu, ex limo coagulata, ad pristinum statum brevi revocet, ni præsto adsit divina propemodum *ÆSCULAPII* ars, quæ exuberantes illas exsiccet aquas, cæteraque quotquot sunt inordinata componat: tales aquei laticis exundationes hydropis nomen fuere sortitæ, & prout totum microcosmum, vel aliquam ejusdem regionem, & Provinciam infestant, universales, ut anasarca, vel particulares, ut hydrocephalus, hydrocele, ascites nuncupantur. Aqueas autem collectiones supponunt cujuscumque speciei cataclismi, intra microcosmum fieri soliti; *erit ergo ascites* (cujus hic naturam indagandam suscipimus) *collectio serosi humoris intra abdominis cavum.*

Confluere intra abdomen, non possunt serosi humores, quin pervertatur staminum tubos ductiles componentium respectus, & positura, & proportionata principiorum sanguinis œconomia vitietur; ergo pendere debet ascites à vitio tum solidorum, tum fluidorum; quod ut luce quam intuemur clarius pateat, præviam in subsidium vocemus autopsiam.

Constat sectione cadaverum hydropicorum, lædi præcipue partes in abdomine, & in thorace contentas, modo siquidem jecur exsiccum, & marasmo tentatum, vel obstructionibus contumacibus, aut tumoribus schirrosis conspersum, aliquando salvis aliis partibus, aliquoties vero afflictis,

modo ſplen, integro jecore, nunc autem admodum alterato, cum pancreate, meſenterio, & epiploo, modo alterutra ex illis viſceribus, aliquando etiam omnia tumoribus ſchirroſis, numeroſis hydatidibus, imo & abſceſſibus obſita reperiuntur; in aliis autem cadaveribus peccant renes, in quibuſdam uterus, & ovarium; intra pectus autem cor duplici, vel unico polypo inſtructum, pulmo exſiccus, tuberculis, & hydatidibus refertus, exanguiſque, vel arteria pulmonaris, & aorta polypoſis concretionibus munitæ anatomicâ ſectione demonſtrantur; quâ de re conſulantur *SENNERTUS*, *SKENCHIUS*, *TULPIUS*, *RUISCHIUS*, aliique obſervatores, ſed præcipue *BONETUS* in *ſuo ſepulcreto.*

Conſtat etiam obſervationibus practicis, aſcitem ſæpe ſæpius ſupervenire, immodicis menſium, aut hæmorroidum evacuationibus, nimio fructuum crudorum, aut frigidorum liquorum uſui, helluonibus, pallidis virginum coloribus, molæ, & graviditati, lui venereæ, febribus malignis, ardentibus, quartanis, & hecticis, ſuppreſſionibus urinæ, lochiorum, & menſtruorum, ſcorbuto, affectioni hypocondriacæ, & cachexiæ, ſed præſertim quibuſcumque morbis chronicis, à contumacibus obſtructionibus productis; illi autem morbi antecedentes aſcitem, natales ſuos atteſtantur, craſſæ, crudæ & viſcoſæ ſanguinis conſtitutioni, ſive ſalinæ, & diſſolutæ; maneat ergo inconcuſſum, ex cadaverum ſectione, vitiâ partium ſolidarum, ex practicis vero obſervationibus pravam diatheſin fluidarum, mutuas ſibi præſtare manus, ad aſcitem producendum.

Sed ne quis moveatur ſcrupulus circa modum quo perverſa fluidorum, & ſolidorum, œconomia aſcitem pariat, ligetur aperto latere dextro thoracis vena cava aſcendens, paucâ interpoſitâ morâ fit canis aſciticus; ligetur præterea ſubclavia vena ſiniſtra, intra inſertionem, jugularis, & cavam deſcendentem hydropicæ, ſeu œdematoſæ fiunt partes omnes, quæ ſuſceptum ſanguinem per arterias in cavam deſcendentem mediante venâ conſtrictâ detrudunt: quid plura? vaſa lymphatica, proprio liquore turgeſcunt, & copioſum muci narium, lachrimarum, & ſalivæ fit profluvium; quorum omnium ratio ſi rite perpendatur animadvertere quiſque poterit, per primam ligaturam retardari cruorem venæ cavæ aſcendentis; variorumque vaſorum venoſorum quæ intra talem truncum terminantur. Cum perpetuo ſanguis ſuppeditetur ab arteriis, nec poſſit ex trunco cavæ ligatæ, confluere in ventriculum dextrum tunc enim neceſſitate mechanicâ intumeſcit vena porta, turgeſcunt ſplenica, coronaria ſtomachica, pancreatica, epiploicæ, & gaſtrœpiploicæ, meſenterica, cùm meſeraicis, hæmorroidalis interior, aliæque innumeræ venæ per abdomen perreptantes; ejuſdem ligaturæ ope millena vaſa lymphatica quibus maxime ſcatet abdomen, ob affluentem lympham prætermodum inflantur, ut eluceſcit ex ligaturâ ſubclaviæ ſupra citata; his autem ita conſtitutis ſanguis intra venas ſtagnans in coagulum abit, deficiente fermentationis motu, pars ſeroſa, ſive lymphatica expeditur è compedibus partis fibroſæ, & globuloſæ ut videre eſt in cruore, extracto intra patellam; præ nimiâ quantitate ſanguinis, intra venas. Tum majores, tum capillares, diſtenduntur

admodum membranæ venosæ, & intersticia posita intra arteriam, & venam; pari proportione quâ ampliantur membranæ prædictorum tuborum & graciliores fiunt, aperiuntur pori eorumdem, hinc serosus humor per patentes meatus primo extillans contextum membranosum magis relaxat, atque ita faciliorem parat exitum aquosæ parti, ut liquet ex abundanti excretione, muci narium, lachrimarum, & salivæ, in secundo canicidio jam allato. Pari ratione vasa lymphatica ob flaccidam contexturam expanduntur extrorsum, & contentæ lymphæ egressum intra abdomen permittunt, qui non interruptus imber prætermodum multiplicatur, vasis lymphaticis, vel etiam lacteis quâcumque de causâ solutione continui affectis; tot igitur aderunt fonticuli salientes, quot pori, seu canaliculi suppetunt exitum humori aquoso præbentes; hinc mechanica aquarum congestio intra abdomen ergo ascites. Cum autem tumores schirrosi, aliaque partium solidarum, tum abdominis, tum thoracis vitia, officium præstent ligaturæ Louverianæ, & aliunde sanguis, vel crassus, crudus, & viscidus, vel salinus, & dissolutus, facillime stagnando expeditam seri à parte rubrâ, & fibrosâ separationem moliatur, compertum manebit in ascite naturali eodem modo paucis immutatis se rem habere, ac in arte facto; proindeque stillationem serosi humoris per substantiam partium intra abdomen immediatam esse ascitis causam, variaque solidorum, & fluidorum vitia observationibus Anatomicis & practicis stabilita, inter causas remotas, & foventes annumeranda esse.

Suppositâ continuâ scaturigine aquarum, ex partibus solidis abdomen constituentibus intra illius cavitatem, crescit prætermodum aquea moles, parique proportione abdomen fertur extrorsum, unde majores illius dimensiones; ergo intumescentia quæ tamen resistentiæ erit expers.

Cum moles aquea constet ex diversis particulis motu respectivo donatis, & diffluere aptis, agitato corpore in diversas determinationes agetur, & sequente tumore latus supra quod fit decubitus, excitabitur fluctuatio quæ percusso uno latere, in manum oppositam impingentibus aquis facili marte persentietur.

Ex perpetuâ serosorum humorum jacturâ crassescunt principia tum salina, tum sulphurea, hinc lotii intra fistulas renales impedita secretio; ergo meiendi difficultas cum dolore, urinæ demum suppressio, vel saltem dysuria; minus extricata muci intestinalis salia, necessarium stimulum non excitabunt unde constipatio; solito fluore orbatis particulis salinis maximus aderit intra fauces siccitatis, caloris, & acrimoniæ sensus, ergo sitis non extinguibilis. Pari ratione vitiatæ fermenti stomachalis moleculæ majorem in ventriculo fermentationem producent cum assumptis alimentis, unde distensio fibrarum ventriculi, indeque dolor, & molestia post pastum; ex eodem quoque fonte cibi fastidium.

Extrorsum ferri non possunt parietes abdominis quin ultramodum elongentur illius musculi, hinc inspiratio, & expiratio simul lædentur ob arcuatam figuram quam describere coguntur tales musculi, protruso eâdem mechanicâ versus jugulum diaphragmate summa cavitatis sphæroideæ tho-

racis constrictio, inde denegatur locus expansioni vesicularum pulmonum; ergo aderit respirandi difficultas, quæ tamen in situ horisontali magis augetur, promoto à visceribus, & ab ipsis aquis versus claviculas diaphragmatis centro.

Deficiente intra sanguinem sero interrumpuntur excrementorum, & recrementorum secretiones, hinc partibus hæterogeneis fetus sanguis, præternaturalem principiorum luctam suscipit, cùm pulsûs frequentiâ vitiosâ, & permanente, ergo febris lenta suas exercere debet strages; succedit marcor, sivè atrophia, maxime partium superiorum, & motûs muscularis debilitas; salinus magis factus trachealis humor, convulsivam expirationem sive tussim producet, sed siccam ex dictis.

Sublato expansionis pulmonum libero motu interrumpitur sanguinis circulatio per hoc viscus, extenduntur ultra tonum vasa capillaria venosa, unde ruptio vel inter tracheales ductus, vel intra propriam substantiam vesicularum, sic igitur hemoptoë, aut peripneumonia.

Atrophiâ tentato hepate, vel eodem obstructionibus contumacibus, seu tumoribus schirrosis consperso, vitiatis pari ferme ratione, liene panpancreate, mesenterio, omento, glandulis conglobatis, ab inguine ad cysternam, renibus, vel ovariis, & utero, inverso demum tum cordis, tum arteriarum majorum, & pulmonum, ut supra innuimus mechanismo, maxime retardatur sanguinis motus intra venam cavam ascendentem; ergo mora injicienda columnæ majori liquidi, intra talem truncum contenti; idem evenit columnis omnibus subalternis corespondentibus intra minores truncos, ob continuitatem liquorum intra tubos inclusorum; hinc venæ per substantiam musculorum abdominis dispersæ, per hiantes capillarium poros serum laxabunt; idem esto judicium de lumbaribus; fiet ergo tumor œdematosus partium externarum abdominis, luridæque efflorescent per habitum cutis maculæ, ruptis quibusdam cutaneis vasis, venæ pudendæ externæ impediti circularis motûs non erunt expertes; ergo œdematosus tumor scroti, in viris, & montis veneris in fœminis; spermaticæ venæ, musculares crurum, ischiatica, saphena, & surales, pari modo hydroceli, & œdematoso crurum, tibiarum, & pedum tumori ansam præbebunt, quæ etiam symptomata à glandulis conglobatis, & schirro tentatis deducere quis poterit lymphaticorum ductuum plane peritus.

Posito in situ perpendiculari corpore ascendit necessario sanguis ex partibus inferioribus versus cor, descendit vero ex superioribus versus illius ventriculum dextrum; in situ autem horisontali ex partibus superioribus, & inferioribus, per plana fere horisonti parallela movetur; ex illo inverso mechanismo facile explicatur œdema partium inferiorum stante corpore perpendiculariter, & superiorum eodem horisontaliter constituto; in primâ enim positurâ sanguis contra proprium pondus cogitur ascendere, in secundâ vero cruor cujus motum per descensum accelerari solebat horisontaliter decurrit; ergo minuitur alternatim machinâ diversimode collocatâ modo impetus sanguinis ascendentis, modo descendentis.

Superveniens dysenteria ex interpositâ morâ sanguini per venas meseraï-

eas portam repetere conanti procedit.

Ex his quæ jam dicta fuere facile stabilientur ascitis differentiæ,unus siquidem ab hepate solo, alter ab eodem viscere, cum aliis partibus vicinis, puta mesenterium, omentum, pancreatem, alius à splene, vocatis etiam in concensum partibus jam assignatis, alter ab utero cum ovariis, alius à mesenterio cum variis glandulis conglobatis, infarctis & schirrosis, & vasis lymphaticis, vel etiam lacteis solutione continui labefactatis, unus à renibus calculosis, aut certo modo vitiatis, alius demum à pravâ dispositione cordis, pulmonum, vel arteriarum majorum; hæc autem multo facilius ascitem producere apta videbuntur, positâ aliunde partium in abdomine contentarum imbecillitate, perspectâ immensâ intra abdomen lymphaticorum copiâ, cognitâ sanguinis intra venam portam circulantis singulari indole, & factâ comparatione potentiarum quæ sanguinem promovent intra alias machinæ partes cum exiguis viribus quibus cruor venæ portæ versus truncum cavæ truditur.

Plures aliæ differentiæ ascitis statui possent, ex aquarum contentarum variâ naturâ, & diversis coloribus, tum ex loco tales aquas includente, siquidem illæ modo intra abdominis cavum fluctuant, modo intra varias cystides recluduntur, inde saccatus, & non saccatus ascites, qui præterea modo viscidæ, & crassæ, modo salinæ, & dissolutæ sanguinis crasi suos natales refert.

Statuetur autem Ascitis diagnosis in genere, ex syndrome symptomatum jam rescensitorum; in specie vero elucescent causæ, ex illis omnibus quæ vitia solidorum, & fluidorum causarum remotarum classem constituentia, certo indicant, & ex semeïotices principiis rite perpensis facile innotescent; distinguitur à tympanite ob fluctuationem majorem, & mollitiem partium abdominis in ascite sonitûs instar tympani expertem, discernetur etiam à graviditate, & mola, per signa huic gemino mulierum statui propria.

Faustus, vel infaustus determinatur morborum exitus, pro majori vel minori causarum amovendarum difficultate, cum ascites pendeat à causis difficili marte tollendis inter periculosos morbos recensendus est, majus tamen adest periculum, pro vehementiâ symptomatum, & prout magis inveteratus, & confirmatus morbus dici potest; siquidem cum ascites supponat, exsiccam & aridam jecoris, aut splenis substantiam, vel illarum partium aut vicinarum schirrosos tumores, qui sæpe in cancrum, abscessus, seu ulcera degenerant, porro polypos intra ventriculos cordis, & arterias majores, demum atrophiam, & tubercula pulmonum, & hæc omnia sæpissime adhibitis quibuscumque remediis in pejus abeant, & sanguis ipse pari ratione siccam & effetam dispositionem induat, jure concludendum sæpissime lethalis morbi naturam præ se ferre ascitem,potissimum ut constat ex divino sene *in coacis si ascitico febriculoso urina pauca turbataque*, aut, si morbus iste, ut *ex prognosticis* patet, *acuto alteri affectui superveniat*, seu etiam, *ex coacis*, *si levatus antea remediis integre renascatur*; abscessus, & maculæ in tibiis, & cruribus erumpentes ut ex Biontis & Cthesiphontis historiâ planum fit, lethales pari jure decernente HYPOCRATE dicentur, imminentem enim sphacelum harum partium significant: idem esto judicium si aquæ extravasatæ putrescant, atque ita gan-

grenam, aut gravia ulcera partium abdominis generent.

Cum ut supra indicatum fuit ascites pendeat à stillatione materiæ serosæ intra abdomen, hunc sibi scopum proponere debet Medicus, ut novus aquæ proventus præcaveatur, & jam extravasata eliminetur, ut primæ indicationi fiat satis aliquando à viâ regiâ recedendum, quando scilicet solutio continui vasorum lymphaticorum, aut lacteorum à quacumque causâ producta ascitem inducit, tunc enim incrassantia, edulcorantia, & vulneraria interna vocantur in usum; sed hujus ascitis ut pote rarissimi, Therapeiæ tractandæ supersedemus, ut communis, & quotidiani curatio explanetur.

Præcavetur igitur novus aquæ proventus intra abdomen adhibitis remediis, quæ causas superius assignatas tollere possunt, & redundantem in massâ aqueam partem per alias vias detrudere valent; hæc autem vel totam massam agitando, vel recrementa per cola obstructa separanda eliquando, affixas moleculas parietibus vasorum in fluorem adigunt, & naturali fluiditati restituunt, qualia sunt limatura ferri, crocus martis aperiens, flores martis, aquila alba, mirrha, bdellium, sagapenum, gummi ammoniacum, variaque aperientia à regno vegetali suppeditata; aut superfluam seri, & viscidæ materiæ copiam, ex primis viis, & sanguine ipso expellunt, quorum alia vomitum cient, ut quædam stybiata, alia vero simplicem catharsin promovent, ut manna, rhabarbarum, & senna; inter hæc tamen hydragoga potius seliguntur, nimirum radix jalappæ, scammonium, mechoacanna, aqua vitæ germanica, in robustioribus autem gutta gummi, succus iridis nostratis, resina jalappæ, & extractum hellebori nigri, alia demum per urinas morbi fomitem eliminant, ut mille pedes, spiritus therebentinæ, & cochleariæ, salia lixiviosa, tartari, & tamarisci, arcanum duplicatum, variaque alia ex diureticorum familiâ depromenda.

Extravasatæ aquæ educuntur eorumdem pharmacorum ope, illorum siquidem partes cum serosâ colluvie intra abdomen permixtæ, fermentationis motum excitant, novamque extravasatæ materiæ cum sanguine miscellam promovent, unde ejusdem per varia cribra præcipitatio; viâ tamen simplicissimâ talis evacuatio per paracenthesin perficitur, reseratis præcipue obstructionibus viscerum aliunde robustorum, aut ægrum infestante dispneâ, seu urinæ suppressione.

Assignata quidem medicamenta, juxta veterum practicorum sententiam, duplici in ascitis curatione attingendo scopo sunt accommodata, semotis tamen omnibus præjudiciis, experientiæ quotidianæ habenda est ratio, quâ constat fortiorum hydragogorum, & diureticorum usu, debilitari, & perverti viscerum robur, unde palma concedenda videtur medicaminibus quæ redundantem in sanguine aqueam partem, aut extravasatam intra abdomen absque ullâ viscerum noxâ detrudunt; sed quotidianis practicorum summi subsellii, ac inprimis D. CHIRAC, hujus Academiæ præclari sideris observationibus comperitur sal admirabile glauberi assignatos effectus per diuresin, imo, & per catharsin pro variâ illius dosi producere; unde talibus auspiciis freti jure concludimus.

ERGO Asciti Sal Admirabile Glauberi.